

eodem secundum diversos aspectus; et ideo illud solum sub principio identitatis cadit quod idem secundum idem (seu idem re et ratione) respiciat.

Quibus perspectis, facilis omnino est responsio ad obiectionem supra positam, cum perperam ibi invocetur principium identitatis comparatae. Nam reales relationes divinae re sed non ratione cum divina substantia identificantur; et ideo nihil efficere potest principium identitatis, quod ea sola respicit quae eadem sunt non solum re sed etiam ratione.

Cum tamen solutio striete logica merum effugium videri possit si nulla addatur explicatio de ipsis rebus, etiam considerandum est quemadmodum se habeat allata distinctio ad casus diversos.

Primo, ergo, si absolutum, A, est realiter idem cum absoluto, C, et pariter absolutum, B, est realiter idem cum absoluto, C, tunc dari non potest nisi distinctio mere nominalis tum inter A et C tum inter B et C, ut, *v. c.*, A sit hoc vestimentum, et B sit hoc indumentum, et C sit haec tunica, ubi vestimentum, indumentum et tunica non sint nisi diversa nomina eiusdem prorsus rei. Cuius ratio est quod, si duo absoluta sunt realiter idem, nulla est intelligibilitas unius quae non sit per identitatem intelligibilitas alterius; et quae tum re tum intelligibilitate sunt eadem, nisi nominibus inter se distingui non possunt. Qua de causa, allata distinctio inter *re et ratione* et *re sed non ratione*, si de solis absolutis cogitatur, omni vero sensu caret.

Deinde, si relativum, A, sit realiter idem cum absoluto, C, et relativum, B, sit realiter idem cum eodem absoluto, C, fieri non potest ut mere nominalis sit distinctio sive inter A et C sive inter B et C. Eiusmodi enim est absolutum ut suam rationem intra suam realitatem contineat atque claudat; eiusmodi autem est relativum ut per suam rationem ultra propriam realitatem ad aliam respiciat; et ideo absolutum et relativum non solum nomine sed etiam intelligibilitate necessario inter se distinguuntur, cum fieri nequeat ut eadem ratio et intra suam realitatem tota contineatur et ultra suam realitatem ad aliam realitatem respiciat. Qua de causa, allata distinctio inter *re et ratione* et *re sed non ratione*, ubi duo relativa cum eodem absoluto comparantur, non tantum diversa nomina sed etiam diversas eiusdem rei intelligibilitates dicat necesse est.

Cuius rei exemplum classicum est realis identitas ab Aristotele affirmata tum inter motum et actionem tum inter motum et passionem. Apud Aristotelem enim actio definitur *actus huius ut ab hoc*, scilicet, actus qui agentis est inquantum ab agente procedit, et passio definitur *actus huius ut in hoc*, scilicet, actus qui patientis est inquantum in patiente recipitur; et cum idem sit actus qui et ab agente procedit et in patiente recipitur, scilicet, ipse motus ab agente productus et in patiente receptus, sequitur tum actionem tum passionem esse realiter idem cum motu. Quibus perspectis, etiam elucet cur tam difficile hoc theorema multis videatur. Nam et actio et passio super ipsum motum relationes, *ut ab hoc, ut in hoc*, addunt; sed longe alia est hac addita intelligibilitas ab intelligibilitate motus absoluti; et ideo multis perdifficile videtur quod tam diversae relativorum et absoluti intelligibilitates in uno eodemque reali inveniuntur.

Denique, ubi duo relativa cum eodem absoluto realiter identificantur, non solum intelligibilitate ab absoluto distinguantur necesse est, sed etiam realiter inter se distinguuntur. Nam, ut supra demonstratum est, relationes et reales et mutuo oppositae necessario realiter inter se distinguuntur. Sed relationes quae cum eodem absoluto realiter identificantur sunt relationes reales. Et ideo si eiusmodi sunt earum rationes intelligibiles ut mutuo opponantur, etiam realiter inter se distinguuntur.

Quod sane totius nostri problematis clavis est atque solutio. Absolutorum enim est ut realiter non distinguantur nisi eadem ratio et ab uno ponatur et ab alio non ponatur. Sed relativorum ulterius est ut realiter inter se distinguantur, non solum per positionem et non-positionem eiusdem rationis, sed etiam per mutuam oppositionem diversarum rationum. Quae quidem oppositio, inquantum realis est, ex realitate relationum dependet; et haec realitas ex uno eodemque absoluto haberi potest. Sed eadem oppositio, inquantum oppositio est, ex solis rationibus dependet; nam oppositae sunt relationes inquantum altera ad alteram terminatur; et altera ad alteram terminatur, non quia relationes sint reales, sed quia earum rationes mutuo se respiciunt. Qua de causa, quae sunt eadem uni tertio, non necessario sunt eadem inter se. Nam duo relativa cum eodem tertio realiter identificari possunt; quod si realiter identificantur, saltem ratione intelligibili ab absoluto distinguuntur; et si eiusmodi sunt eiusmodi rationes ut mu-

tuo opponantur, etiam realiter inter se distinguantur necesse est.

Cuius tamen exemplum in rebus creatis non inveniri fatendum est. Actio enim et passio, sensu Aristotelico, quae realiter cum motu identificantur, non mutuo opponuntur, cum actio agentem respiciat et passio patientem. Imo, cum *ab agente* et *in patiente* ad unam atque indivisam intelligibilitatem pertineant, ordine unum sunt et nisi unum ordinem seu unam relationem realem non constituunt.

Si vero actio intelligitur ut relatio agentis ad patientem, et passio intelligitur ut relatio patientis ad agentem, sane habentur relationes et reales et mutuo oppositae. Attamen actio et passio sic intellectae cum uno eodemque tertio realiter identificari non possunt, cum actio actum, passio potentiam supponat, et idem secundum idem non possit esse et actu et potentia.

Qua de causa, solummodo in divinis inveniuntur relationes et reales et mutuo oppositae et cum eodem absoluto realiter identicae, in quantum per unum actum infinitum habentur et principium verbi, et verbum, et amor procedens.

Obiectio vero quae prius loco posita est, sic cum responsionibus et instantiis exponi potest.

Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; atqui Pater et Filius sunt eadem uni Deo; ergo sunt eadem inter se.

Respondetur. Quae uni tertio sunt eadem tum re tum ratione, sunt eadem inter se, *conc.* Quae uni tertio sunt eadem re sed non ratione, sunt eadem inter se, *negatur*. Et minor contradistinguitur: Pater et Filius sunt eadem uni Deo, tum re tum ratione, *negatur*, re sed non ratione, *conc.*

—*Instatur*. Distinctio rationis nihil facere potest ut adsit distinctio realis.

Resp. Nihil ellicitur ad distinctionem realem per distinctionem mere nominalem, *conc.* Nihil ellicitur ad distinctionem realem ubi in eadem realitate verificantur diversae rationes intelligibiles, nempe, absoluti et relativi, *negatur*.

Instatur. In eadem realitate verificari non possunt rationes intelligibiles adeo diversae ut ad distinctionem realem fundandam sufficiant.

Resp. In eadem realitate verificari non possunt rationes intelligibiles adeo diversae ut fundari possit distinctio realis absolutorum, *conc.*, relativorum, *subdist.*, non mutuo oppositorum, *conc.*, mutuo oppositorum, *negatur*. Et ratio est quod tum absoluta

Respondetur. Contradictoria de eodem praedicari non possunt, nisi praeter distinctionem rationis etiam invenitur distinctio realis, *dist.*, contradictoria et absoluta, *conc.*, relativa mutuo opposita, *subdist.*, requiritur aliqua realis distinctio, nempe, ipsorum relativorum, *conc.*, requiritur realis illa compositio quae absolutis competit, *negatur.*

Et explico, « Immortale » et « mortale » striete sunt contradictoria, quia eadem potentia respective tollitur et ponitur; et ideo ad realem compositionem intra hominem rite concluditur. Sed « Pater » et « Filius » realiter distinguuntur quia sunt relativa mutuo opposita; et mutua oppositio relativa realem compositionem in absoluto non demonstrat.

QUAESTIO VII

QUID VALEAT DISTINCTIO INTER « ESSE IN » ET « ESSE AD ».

Differt categoria relationis ab aliis in quantum distinguuntur relationes (non autem substantiae vel qualitates vel alia praedicamenta) in relationes reales et relationes rationis.

Porro, conceptus compositus dupliciter reduplicatur: considerari enim potest relatio realis vel qua relatio est vel qua realis est. Quae duae reduplications nominari consueverunt « esse ad » et « esse in ». Sicut enim substantiae competit esse per se, sicut accidenti striete sumpto competit esse in alio, ita etiam relationi, eo ipso quod relatio est, competit esse ad aliud; qua de causa relatio realis qua relatio dicitur « esse ad ». Praeterea, cum communiter relationes sunt accidentia, eam habent realitatem quae accidentibus competit, nempe, « esse in »; et ideo relatio realis qua realis dicitur « esse in ».

Quibus perspectis, concludes « esse ad » et « esse in » non esse concipienda per modum essentiae et esse ut ex eorum compositione quoddam totum efformaretur, sed ea esse concipienda tanquam duas notas unius relationis realis.

Cuius distinctionis, in reduplicatione fundatae, duplex est valor et periculum unum.

Valor primus ex eo est quod reales personarum divinarum distinctiones oriuntur, non ex positione et non-positione eiusdem rationis, sed in unica reali positione relationum mutuo oppositarum. Aliis verbis, distinctio realis personarum ex oppositis « esse ad » proxime oritur.

Valor secundus ex eo est quod Filius habet omne quod Pater, excepta paternitate. Filius enim non realiter distinguitur a Deo; Deus non realiter distinguitur a Patre; et tamen Filius realiter distinguitur a Patre, quia distinctio personarum est secundum opposita « esse ad ». Et idem valor iterum apparet ex eo quod « ... Deitas ... nec minoratur in singulis, nec augetur in tribus; quia nec minus aliquid habet, cum unaquaeque persona Deus singulariter dicitur, nec amplius, cum totae tres personae unus Deus enuntiantur » (DB 279); quia scilicet fundantur personarum distinctiones non in positionibus contradictoriis et realibus sed in oppositis « esse ad ».

Periculum autem unum est ne ex mente decidat quod « esse ad » nihil est nisi aspectus reduplicatus relationis realis; quod eo facilius sit cum de mysterio disputetur. Age vero, nullum prorsus esset mysterium SS. Trinitatis, si uni actui puro et infinito accederent tantummodo tria entia rationis. Quod tamen interdum supponi videtur, cum elegantius et efficacius solvantur difficultates atque problemata.

Quare omnino animadvertendum est eandem divinam realitatem et vere unam et vere trinam secundum duos aspectus ratione distinctos a nobis ita apprehendi, ut secundum aspectum absolutum unus sit Deus et secundum aspectum relativum tres sint relationes subsistentes realiter inter se distinctae. Quapropter non minus reales sunt relationes tres quam essentia una, cum pariter in suprema realitate divina tam relationes quam essentia inveniantur. Et tamen non realiter inter se distinguuntur essentia et realis relatio quaelibet, cum ratione tantummodo distinguantur aspectus Dei absolutus et aspectus Dei relativus.

Proinde, cum reduplicetur relatio realis, ut considerentur relatio realis qua relatio (esse ad) et relatio realis qua realis (esse in), verum omnino est realem relationum distinctionem proxime oriri ex « esse ad »; sed pariter verum est eandem relationum distinctionem futuram fuisse non realem sed rationis, si haberentur tantummodo « esse ad » sine reali « esse in »; nam relationes mutuo oppositae, nisi sunt reales, non realiter inter se distinguuntur.

Praeterea, verum omnino est Filium habere omnia quae habet Pater, paternitate excepta, quia realiter identificantur tum filiatio cum deitate tum deitas cum paternitate. At minus verum non est tam paternitatem quam filiationem esse realem,

et realiter inter se distinguuntur realem paternitatem et realem filiationem.

Praeterea, verum omnino est quod Deus non minoratur in singulis nec augetur in tribus, quia tota divina realitas a singulis habetur, neque aliquid maius quam tota divina realitas a tribus simul sumptis habetur. At pariter verum est ratione distinguuntur a divina essentia tres relationes reales, quae omnes realiter inter se distinguuntur.

His igitur perspectis, allatae distinctionis simul et valorem et periculum agnosce. Cum enim aliud sit verum et aliud totum verum, aliud est in clariori quadam luce divinam unitatem exponere, aliud autem est in clariori quadam luce tum divinam unitatem tum divinam trinitatem simul manifestare. Illud facit allata distinctio, et ideo maximum quemdam valorem habet. Hoc autem facere potest nulla brevis distinctio, cum de mysterio in Deo abscondito agatur. Quam ob causam, cum tam trinitatem in unitate quam unitatem in trinitate confitemur, nullo modo ex allata distinctione inter « esse ad » et « esse in » ratiocinari licet, quasi tota doctrina trinitaria in hac sola distinctione contineatur. Quamvis enim vera sit distinctio, quamvis utilissima sit, quamvis nullum afferat periculum dummodo evitetur abusus, attamen incipit abusus, quam primum vel implicite supponitur quoddam verum totum esse verum.

QUAESTIO VIII

UTRUM MAIOR AN MINOR SIT RATIONIS DISTINCTIO QUA DIVINA SUBSTANTIA A DIVINIS RELATIONIBUS ET VICISSIM DIVINAE RELATIONES A DIVINA SUBSTANTIA DISTINGUATUR.

Ad terminos:

distincta sunt quorum unum non est aliud;

ratione sunt distincta quorum conceptus unius non est conceptus alterius;

maior seu adaequata est rationis distinctio ubi conceptus unius conceptum alterius non actu dicit ne implicite quidem;

minor seu inadaequata est rationis distinctio ubi conceptus unius conceptum alterius actu dicit saltem implicite;